



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

COMMENTARIORVM. LIB. V. 85

¶ Fuit autem initium prædicationis eius pœnitentia, præcurrente in hoc ipsum Ioanne, sicut ipsa manifeste scriptura euangelica demonstrat. In diebus autem illis (inquit) uenit Ioannes bap. prædicans in deserto Iudææ & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Item: Cum audisset Iesus q̄d Ioannes traditus esset, secessit in Galilæā, & exinde cœpit prædicare & dicere. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sed & alias ubi cunctæ occasio se præbuit, illâ ostendit suis aduentus sui caussam, uocare. s. p̄ctōres ad pœnitentiam, & hæc est amicarum quoque eius doctrina circa omnes homines, ut mortificant membra sua super terram. Ergo ueraciter labia eius lilia distillantia myrrham primam, quia docet munditiam, uocat ad pœnitentiam. Non qualēcūq; myrrham, sed myrrham (inquit) primam, id est, ueram & optimam, scilicet nequaquam cupiditate uanæ gloriæ adulteratā. Cum, inquit ieunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem cum ieunias, unge caput tuum & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieunans, sed patri tuo, qui est in absconde, & pater tuus qui uidet in absconde, reddet tibi.

¶ Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis,

¶ In quo manus eius tornatiles & aureæ? Nimirum in faciendo miracula, ut constanter dicere posset. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si non uultis mihi credere, operibus credite, uidelicet q̄ feci in uo-

L S

Matth. 3.

Matth. 4

Luc. 5  
Coloss. 2.

Matth. 6.

Ioan. 10

RVP. IN CANT. CAN. CAP. V.

bis, qualia uel quomodo nemo aliis fecit: Ne-  
mo q̄ppe aliis manus in faciendis signis uel pro-  
dignis ita tornatiles & ita aureas habuit. i. nemo  
ita uelox & potens extitit in huiusmodi, ex om̄i-  
bus, quicunq; mira in hoc mundo sunt operati.  
Qui torno operatur, facilius, citius, atq; perfe-  
ctius operatur. ¶ Sic iste dilectus nimis longe  
facilius, multo citius, ualde pfectius, mira qua  
uoluit operatus est, q; aliquis ex cunctis opera-  
rijs uirtutum quicunq; a seculo fuerunt. Illi nan-  
q; multo sudore, multis orationum atq; ieuniorum  
impendijs, multo clamore cordis &oris, a-  
liunde, scilicet ex DEO, acquirere siue obtinere  
meruerunt cuiuslibet (quam utiq; in semetipsis  
uel ex semetipsis non habebant) uirtutis effectū  
hic autem solo nutu, sola uoluntate, solo impe-  
rio, interdum & taciturnus, quod uoluit opera-  
tus est. Exempli gratia: Cum dixisset in nuptijs:  
Implete hydrias aqua, non solum non clamauit  
aut orauit, sed nec uoce sua siue labiorum motu  
suffit saltē aut dixit, conuertantur uel conuer-  
timini aquæ in uinū, sed de hoc omnino tacitus,  
haurite nunc, inquit, & ferte architraclo, sc̄ies  
& certus, q; satis sensisset natura tacitum condi-  
roris sui nutum. Nec m̄r: Ipse enim erat & est  
antiquus tornator, qui tornauit cœlum & terrā  
& Sphærica Solis & Lunæ cunctarq; corpora  
stellarum torno suo, id est, imperio uelocissimo.  
¶ Vnde manus eius adeo tornatiles? Nimis  
ex eo quod sunt aureæ. Quid est aureæ, nisi diui-  
næ? Substantia nanc; uerbi incarnati uerum au-  
rum est, uera diuinitas est: & unde, q; ita uelo-  
citer currunt manus eius, quia quamvis insu- mi-

Ioan. 2.

tate carnis obiectæ fuerint, nihilominus tamen tornatiles, ut erant, perseverauerunt, & in nullo infirmatae siue tardiores effectæ sunt,

¶ Adde & hanc sapientiæ laudem, tanto præcōnio fortitudinis siue uelocitatis, quia plenæ hyacinthis, lapidibus utiq; præciosis, Qui nam sunt illi hyacinthi? Nimirum cœlestes cauissæ mirabilium ipsoꝝ quæ fecit, quas intendit, quas internis præ oculis habuit sensus iterni, sensus pulcherrimi, quos tu, dum cum exteriori opere cōiungis, dum clare intelligis, dum oportune eloqueris, nimirum hyacinthos pulcherrimos aucto optimo supadditos ostendis. Exempli gratia: Ut illuminaret cæcum a nativitate expuit i ter ram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos eius, & dixit ei: Vade & laura in natatoria Syloe, &c. In hoc nimirum manus eius tornatiles & aureæ claruerunt, quia & uelociter operatus est, & sicut deus in potestate opus fecit diuinum. Adde nunc cauissæ quare taliter operatus sit, cum dicere posset, sicut alij dixit: Respice, si des tua te saluum fecit, & ecce manus eadē plenæ hyacinthis. Quæ nam illæ cauissæ sunt? Illæ profecto, quas usq; in hanc diem sancta ecclesia diligenter obseruat in cathecumenis suis, prius leniendo oculos eorum fide uel doctrina incarnationis eiusdem dilecti filij dei: in qua uidelicet incarnatione, quasi sputum oris dei, pulueri terræ se se indidit & unus idemq; deus & homo ad illuminandum genus humanum processit de utero uirginis, & deinde mittendo eos in fontem baptismi, quo per spiritum sanctum totus homo illuminatur & uiuit.

Ioan. 9

Lucæ. 18.